

DISSERTATIO ACADEMICA,  
THRENOS JEREMIÆ LATINE VERSOS  
NOTISQUE EXPLICATOS,

SISTENS,

CUJUS PARTEM VIII; VAM,  
CONSENSU AMPLISS. FAC. PHILOS. IN ACAD. AB.

P RÆS I D E

J OH. HENRICO FATTENBORG,  
*Litterat. Orient. Prof. Ord.*

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
HENRICUS JOHANNES LINDSTRÖM,  
*Stipend. Bremerian. Nylandus.*

In Auditorio Philosoph. die XVII Junii MDCCCXVIII.  
horis a. m. consuetis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.



*Threnorum Cap. II: dum.*

v. 10, Humi sedent taciti senes filiæ Zion,  
 Pulvere super caput conspersi, cilicio cincti;  
 Virgines Hierosolymæ vultus in terram demittunt.<sup>1)</sup>

L

v. II.

- 1) In luctu humi tacitum sedere, pectus tundere, pallium scindere, pulvere crines conspergere & crassa amiciri ueste, solitus erat orientalibus mos, cuius scriptissime meminerunt Hebreorum auctores, v. c. Genes. XXXVII: 34, II. Sam. XIII: 19, Job. II: 12, 13, Ezech. XXVII: 30, 31. Neque vestigia illius apud Græcos pasim non occurunt, ex. gr. Il. Σ: 23 seqq., ubi de Achille, Patroclum lugente, canit HOMERUS:

Αμφοτέρης δὲ χερσὸν ἔλων κόνιν αἰθαλόεσσαν,  
 Χευατο καὶ κεφαλῆς, χαρίεν δὲ ἡσχυνε πρόσωπον.  
 Αὐτὸς δὲ ἐν κονῖστι μέγας μεγαλώσι τάνυσθείς  
 Κεῖτο, φίλησι δὲ χερσὶ κορήν ἡσχυνε δεῖξων.  
 — — — χερσὶ δὲ πάσσαι (τιλ. δμωα)  
 Στήθεα πεπλήγοντο. (Cfr. Odyss. Δ: 539, 541).

Et similiter fere apud Romanos quoque, e. g. CATULL.  
 LXIV: 349 seqq.

Illi⁹ (sc. Achillis) egregias virtutes claraque facta  
 Sepe fatebuntur gnatorum in funere matres,  
 Quum in cinerem canos solvent a vertice crines  
 Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.

Cfr. VIRG. Aen. IV: 666 — 674, XII: 609 — 611, CIC.  
 Tusc. III: 26, & innumera alia loca, ubi homines cala-  
 mitatibus luquaque afflitti, atras, pullas, sordidasque uestes  
 induiti leguntur.

v. II. Lacrimis conficiuntur oculi mei, viscera mea  
 vestuant,  
 In terram, ob populi mei cladem, effusum est  
 jecur meum,  
 Quum

---

*pw hirtæ vestis* genus, e caprinis plerumque pilis confectum, tentiorum tegumentis aliisque usibus vilioribus inserviens, quo tum religiosi Aethiopes utuntur, ut ex ALVĀR. *Hifl. Æth.* affirmat ED. CASTELLUS (in *Lex. Heptagl.*), tum etiam Hebrei tempore luctus semet velarunt. E linguis Orientalibus in Græcam primum immigravit vox *pw*, ac deinde civitate illam donavit Latina; cuius tamen apud auctores, si Patres ecclesiæ, v. c. HIERONYMUM (in *Epist. ad Marcell.*) & AUGUSTINUM (in *Enarrat. II:da in Ps. XXIX*), exceperis, cum vix unquam ipsum *crassum illud textum*, sed varia supellestilia ex eodem consuta significet *faccus*, latius explicatur *pw cilicum*, quod idem est vestimenti genus, aut ab eodem haud multum differt. Cfr. VARR. *de R. R. II: ii.*

הוֹרֵיד רָאשׁ *demittere caput*, qui lugent, facere solent; nam imago animi vultus est, indices oculi, inquit CICERO *de Orat. III: 59*; quare in omnibus fere linguis hæc forma loquendi de mœrentibus usurpatur. Latini quoque non solum *demittere vultum*, verum etiam *caput*, dicere amant. Cfr. CÆS. *B. G. I: 32*.

--- יְרוּשָׁלָם inepte reddunt LXX κατηγαγον εἰς τὴν γῆν ἀρχηγὸς παρθένες ἐν Ἱεροσόλυμα. Qui enim sunt, qui κατηγαγον &c., h. e. *dejecerint primarias virgines Hierosolymitanas?* Haudquaquam senes illi cilicio cincti, Igitur hostes? At de illis h. l. non est sermo. Neque J. F. SCHLEUSNERUS (in *curis critt. & exegett. in Thren.*

Quum in plateis urbis infans lactensque languidus jacet 2).

L 2

v. 12.

*Jerem.)* rem feliciter expedivit. רַאשָׁם, inquit, ALEX. אֶצְחָרֵב. Legerunt sine dubio רָאשׁ & loco עַפְרָה, נַעֲמָר per metathesin verborum? At oculorum fallacia lapsus est Vir, in lectionibus conjectando inveniendis alias longe sagacissimus. Nam רַאשָׁם & יִסְרָאֵל, quae ad hoc membrum, cum de τῶν LXX ἀρχῆροις loquitur, certe refert, prius hujus verticuli καλῶν comprehendit; quare, quomodo legerint LXX, si conjectura judicare liceat, Ἰωάννη pro ῥάπτῃ ante oculos habuisse nobis videntur.

2) בְּלֹה וְנִי explicarunt alii Int. defecerunt, alii consumti sunt, pars contabuerunt, tandemque SYR. بَلْهُ وَنِي i. e. obsecurati, cæci facti sunt oculi mei, cui consentit ill. MICHÄELIS (in Versione V. T. Teuton.), meine Augen haben sich blind geweint vertens; & quoniam בְּלֹה de variis rebus, quæ imminuuntur & evanescunt, in universum frequentatur, inter has allatas explicationes vix ullus datur eligendi locus & utra illarum admittatur, idem oritur sensus. In verbo tamen בְּלֹה haud inesse notionem cæcitatris, omnes sciunt.

חַמֵּר, quod h. I. gravissimum astuantis animi dolorem exprimit, ita interpretati sunt omnes Veteres, ut primam hujus verbi significationem (fervere, astuere) ignorasse videantur. Cfr. Dissert. Threnos Jeremiæ sistens P. V. n. 48, ab A. G. TÖRNNUDD edita, Aboæ MDCCCXV. LXX enim ἐταράχθη (ἢ καρδίᾳ μετ') frigidius vertentes, omnes alios sui lequaces habent. Germani suo wallen חַמֵּר rediderunt, quo verbo nullum fere aptius, aut elegantius in aliis linguis inveniri potest.

כבר quin *jecur* in Hebraismo significet, quamquam haud dubium sit, cum eadem voce, iisdem litteris scripta, aliæ linguæ Orientales, Arabica & Æthiopica, Syriaca & Chaldaica, hoc viscus appellant, tamen quomodo ad verbum intelligenda sit dictio כבר בְּרַע נִשְׁפָךְ לְאַרְצָן, i. e. *effusum est in terram jecur meum*, inter recentioris ævi Interpretes haud sine causa disputatum est. Cum enim interiores ventris humani partes ita conglutinaverit natura, ut hepatis non uno nexu religata sit cystis, sive vesicula, quæ in jecinoris officina percolatum amari *fellis* excipit succum, jamjam MATTH. TOLUS *jecur* in hoc Threnorum versu, per metonymiam, pro *vesicula fellis* & hanc pro *felle*, quod in ea continetur, positum esse conjectavit, doctissimum suæ sententiae defensorem nactus Illustrum MICHAËLIS, qui (in *Suppl. p. 198*, & in *Versione V. T. Teuton.*) non tantum hoc loco, verum etiam *Genes. XLIX: 6* & *Des. X: 16*, mutatis tamen punctis כבר וְבֵדֹן & כבר וְבֵדֹן legens, quoniam fel vomitu, ex vehementiori affectu iræ, terroris, aut doloris orto, facile effunditur, quod jecinori nunquam accidere potest, τῷ כבר eandem *fellis* vim, sine ulla hæsitatione adjudicavit. Neque alia desunt argumenta, quæ pro hac explicatione defendenda ad allatas addi possint rationes. Primo haud leve erit illud, quod ex opinione Veterum de hepatis ac cystidis structura desumere licet. Cum enim hepatis implicitam & arctissime adhaerentem esse vesiculam *fellis* viderent, & fel in jocinore esse (cfr. PLIN. H. N. XI: 37), h. e. bilem in hepatे coqui, notum sibi haberent, hepar & cystidem idem fere & unum constituere viscus putarunt (cfr. CICER. N. D. II: 55), atque sic facilius *felle* pro *jecinore* in dicendo uti potuerunt. Deinde promiscuus hepatis & *fellis* apud Veteres usus ex eo etiam oriri potuit, quod vehementiorum affectuum, v. c. amoris, iræ, doloris, præcipuas sedes tum in jecore, tum in *felle* po-

v. 12. Matribus dicunt, ubi panis vinumque?

Quando

nerent. Δῆμαρα λύπης ἐφ' ἡπαρ προσκνεῖται dicit ESCHYLUS in Agam. 801, & ELIAN. in H. V. VIII: 9, ἐώ κανὲν ἡπάτι τεύχει; atque eodem modo Latini: PERS. Sat. V: 129, Sed si intus, & in jecore ægro, Nascantur domini i. e. affectus: HORAT. Od. I: 13, 3, Væ! meum Fervens difficiili bile tumet jecur: Od. I: 25, 15, Cum tibi flagrans amor & libido, Særiet circa jecur ulcerosum: VIRG. En. VIII: 219, Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro, Felle dolor: TIBULL. II: 4, 12, Omnia jam tristi tempora felle madent. Hinc etiam de dolore in HARIR. Conf. V: 10: **فَصَلَتْ عَنْ دِكْبَرْ مِنْ رُضْوَةَ** i. e. & revulsus sum ab illo (scil. filio) jecore contuso & lacrimis ubertim profusis, ac mox ibid: **فَقَدْ أَسْتَطَعْتُ مَدْعَوْعَ كَبَدِي مِنْ الْكَنْبَنِينَ إِلَى وَلَدِي** i. e. & profecto fissiones jecoris mei volitant præ desiderio erga natum meum; & de ira in Versione Syr. Act. VIII: 23, ubi græca εἰς χολὴν τυγχανεῖ, quamquam χολὴ sit bilis, redduntur **כְּבָדֵל**, i. e. jecore amaro. Quibus omnibus id tertio loco addi potest, verba hæc Threnorum idem ad unguem significare ac dicta Jobi Cap. XVI: 13, יְשַׁפֵּךְ לְאַרְעָה i. e. diffidit (scil Deus l. sagittarius ejus) renes meos, effudit in terram fel meum, quocum conferri potest Job. XX: 25, וַיַּצֹּא בָּרֶק מִמְּרוֹדוֹן i. e. & exit gladius fulgurans e felle ejus (sc. impi), b. e. e folliculo fellis, cuius locutionis loco occurrit Prov. VII: 23, עַד יִמְלֹחַ כְּבָדֵל, i. e. donec diffiderit sagitta jecur ejus. — Verum enimvero, quamquam ex iis, quæ nunc disputata sunt, vero simillimum videri poslit, vocem Hebr.

**בְּבָדֵל**

significatione *fellis* esse h. l. ornandam, qua admisfa,  
baudquam ab imagine, ad affectus tantummodo magni-  
tudinem exprimendam phantasie vi contra veritatem rei  
efficta, orationem dicit Vates noster, sed ad id, quod  
re vera accidit, accommorate dicit: "tam acer angor ex-  
erueriorque dolore (h. e. mœltia cum intignatione con-  
juncti, Svet, harm, grämelse), ut e visceribus anatem mihi  
ebulliat fel, quod diaceratus nausea stomachus eructando in  
terram ejicit"; attamen quæ contra hanc explicandi ratio-  
nen dici posunt, tanti momenti nobis esse videntur, ut  
illa silentio prætermittere nequeamus. Primum enim tua  
fibi propria in lingua Hebr. habent *jecur* & *fel* nomina,  
quorum illud est a *gravitate* כבד, hoc autem ab *amari-*  
*tudine* מרעה, Job. XVI: 13 & תַּהֲרֵךְ, Job. XX: 14, 25,  
dictum, qua in *fellis* denominatione ita cum Hebraica  
conceinit Arabica dialectus, ut cum ibidem <sup>س</sup> سر sit *fel*,  
& <sup>ك</sup> كسر folliculus *fellis*, etiam מירחה de cystide dici pos-  
sit; cui accedit rei, quod Syri quoque *bilem* بـلـ &  
Chaldæi מיררא appellent. Cfr. ED. CASTELLI Lex. He-  
ptagl. & J. EUXTORFI Lex. Chald. Talmud. & Rabbin.  
Deinde, quamvis prorsus negare vix audeamus, nomina  
*jocinoris* & *fellis* a veteribus nonnunquam confusa fuisse,  
attamen de *vesicula sella*, ut discreto ab hepate viscere,  
vix infici esse posse videntur, quum ex mactatorum ani-  
malium intestinorum inspectione facile id discere potue-  
rint, atque etiam PLINIUS H. N. XXX: 12 de *folliculo*  
*fellis* animalium disseruerit. Tum, non omnino necessa-  
rium nobis videtur, ut כבד ejus rei ergo *fel* significet,  
quod *jecur* effundi nequeat, ut III. MICHAËLIS ratiocina-  
tur. Nam in omnibus linguis innumeræ occurunt dictio-  
nes, quæ licet nunquam ad verbum sumantur, aut sumi  
possint, satis bene intelliguntur & in hyperbolico dicen-  
di genere tæpius usurpantur. Sic, ut in ea re, de qua

Quando in plateis urbis, sicut vulnerati, viribus  
deficiunt,

Et

heic sermo est, maneamus, Hebrei dicere amant שְׁפֵךְ לְבָרֶךְ, in PETRON. 66, intestina vomentur, & apud VIRG. Ecl. VII: 26, ilia rumpuntur Codro, invidia pleno, quemadmodum qui Svetlica utuntur lingua, utgjuta sitt hjerta, spricka af harm, mitt hjerta briſter, kasta upp leſver och lungor frequentare solent, quæ omnia bene ſeſe habent, quamquam cor, jecur, aut pulmones effundi, vel ilia rumpi nemo viderit, ne quidem cogitaverit. Postremo ſenſum locorum e Jobi & Proverbiorum libris allatorum diligentius penſitanti, vereor, ne omnium maxime ſeſe probatura fit, quam ALB. SCHULTENSUS (in Comment. in Lib. Job. p. 406) dedit, explicatio, qua ſeſſos renes, diffiſum jecur, effuſumque fel, aut hepar, haudquaquam de excruciantibus animi in corpore fano doloribus fracti ſenſibus, fed de vulneribus ad vitalia adactis, adeoque de plagis letalibus interpretatus est, ad eundem tere modum, quo de feris indagine cinctis & solo metu confixis atque ad terram prostratis in Hist. Timuri p. 416 dicitur سقطت علىها وقطعت كلها, i. e. ceciderunt vires earum Et conſciſi fuerunt renes earum, & apud HOME-RUM ſæpius legitur: ὅνται καθ' ἡπαρ̄ Ἐν δέ οἱ ἡπαρ̄ ὄλισθεν (cfr. Il. Y. 469, 470); unde verba Jeremias נשְׁפֵךְ בְּבִרְיִ לְאַרְצָה hoc modo explanat: mortifero vulnere jaceo confixus, absque ulla ſpe reſtitutionis; quocum Latinorum disperii l. actum est de me conſerrem. Duces quidem hac in lite dirimenda veteres Interpretes vix habemus; legerunt enim LXX & SYMMACH. כְּבִרְיִ, quia vertunt ἡ δόξα μα, quos preſe ſequuntur SYR. & ARAB. dum ad verbum Hebraica transferunt VULG. & CHALD., ſed ſi

Et in matrum sinus animam effundunt 3).

v. 33.

quid judicare audemus, plurimis forsitan, quæ posteriori posuimus loco, explicatio arridebit.

רְכָב pr. *fractio*, extremum per Nebucadnezarem civitatis Judaicæ excidium h. l. significat. Est enim שֶׁבַר rem ita *frangere*, ut in duas, aut plures, *disjiciat partes*, quod liquido confirmat *Yesh. XLII: 3*, לֹא יִשְׁבֹּר רְצֹחַ, i. e. arundinem quassam non diffringet; atque hinc oritur *funditus evertendi* notio.

טַע si uspiam in Codice sacro, ab Arab. طَعْ duplicitavit, in VII:a complicavit se, in se reflexus fuit, vim curvandi, se flectendi, aut torquendi habeat, hoc certe loco, quemadmodum etiam versu mox in sequente & 19:mo aptissima est. Qui enim dolore anguntur, se torquere ac corpora contrahere & in varios flexus sinuare solent, quod etiam de infantibus in cunis vagientibus & multo magis de lactentibus, ab umberibus matrum raptis & in plateas projectis dici potest. Sed tamen languere, animo linqui, viribus deficere, commodum quoque fundit sensum. Cfr. *Psi. LXI: 3*, *CVII: 5*, *Ies. LVII: 16*. Sine ulla ratione etymologica CHALD. qui in Threnis supra modum παραφεγάζει, ad ῥτω explicandum suo πητεί vit, siti defecit, utitur, quod in primis versu 19:o, ubi ῥτω cum בְּרַעֲבָה conjunctum legitur, inconcinnuum aspernumque est.

- 3) מְרֵד propr. *frumentum* h. l. est *panis*, aut in universum cibus. Tali enim metonymiae frequentius apud poëtas occurunt. Cfr. *Psi. LXXVIII: 24*. Post מְרֵד addit SYR. ~~לְמַרְדָּס~~ i. e. *oleum*; quod unde desumferit, incertum est.

v. 13. Quid tibi dicam? quid tibi conferam, filia  
Hierosolyma?  
Quo te consoler, quid tibi comparabo, virgo fi-  
lia Zion?  
Vastum ut est mare, sic ingens tua calamitas,  
quis te sanabit 4)?

M

v. 14.

— -- **אַמְהָה** — **הַשְׁתֵּפָךְ** verba sunt ad mœrem excitandum  
aptissime concinnata. Durum est, luget propheta, bella-  
tores pro patriæ salute pugnantes, vulneratos & animam  
exhalantes videre; at multo tamen tristius visu est cru-  
dele innocentium infantorum fatum, qui haudquaquam  
spiculis confossi, sed dirum dictu! fame, intestina sensim  
corrodente, consumti, vermiculorum more tenera in pla-  
teis voluant membra, aut, quod etiam lugubrius est, in  
matrum gremiis, a quibus acceperunt, illis tenuem red-  
dunt spiritum.

4) **אֲנֹזֶר** habet Chetibh; sed quoniam in Kal alibi non oc-  
currat hoc verbum; nec in Piel *circumeundi* notio huic  
loco apta est, Masorethica in Hiphil tum consonantium,  
tum punctorum scriptio approbanda videtur, quamquam  
tamen in explicando, in primis si ad verba **אַרְמָה** & **אַשְׁוֹר**,  
quibus in parallelismo respondet **אַעֲזֵר**, spectemus, paul-  
lulum dubii remaneat. VULGATUS quidem ad horum  
verborum significationem, quæ h. l. idem atque *asimi-  
lare* valent, perquam accommodate Hebraica **אִיּוֹרָה** **נִהְיָה**  
redit, cui te comparabo; sed cum pro hac defendenda  
interpretatione vel levisimum nobis haud licuerit repe-  
rire argumentum, nec J. G. BOERMELIUS (in *Jeremias  
Klagegesänge übers. mit Ann. Weim. 1781*), qui VULG.  
premens vestigia vertit, wen soll ich gleichen dir, ullum

suæ explicationis stabiliendæ fecerit periculum, ægre quidem, at ita jubente linguae consuetudine, veteris hujus antesignani auctoritatem negligere cogimur, sua quoque Houbigantio relicta conjectura, annon loco אֲשֶׁר־ אָנֹכִי ante oculos habuerit VULG. יְהֹוָה, quod verbum a nomine חִידָה, ἀνίγμα, forsitan assimilandi & comparandi vim accipere potuerit. Quæ cum ita sint, cum ARAB. SYR. & CHALD. potius τὸν δὲ sequimur, τὸν μαρτυρεῖσθαι τοις, verba nostra transferentes, licet ita quoque comparata sit hæc interpretatio, ut sine ulteriori expositione recte intelligi nequeat. Primum enim neque Hebr. ψώ, nec τῶν LXX μαρτυρεῖν b. l. ita accipendum est, ut testimonium perhibere, sed idem fere ac Latinorum testari, b. e. firmissime asseverare, Sveth. betyga (cfr. Genes. XLIII: 3, Deut. VIII: 19), aut potius admonere significet. Deinde quamquam iniarias ire nolumus, verbum ψώ in admonendi significatu adhibitum, sæpius idem valere, ac severius aliquem alloqui, aut gravius ob delicta quadam increpatum velle, Sveth. varna, quo eodem sensu רַבֵּךְ, cum לְלִכְדָּן constructo & in eodem membro cum הַשְׁׂרָךְ conjuncto utuntur Hebrei, v. c. Jerem. VI: 10, עַל מֵאַנְגָּרָה i. e. quem alloquar ego & quem admonebo? coll. Job. XIX: 18, Ps. L: 7, Neh. IX: 26, 29, XIII: 15, 21; attamen cum אַנְחָמַךְ, ut te consoler, in medio hujus versiculi, & omnia quæ in hoc usque ad finem Lamento consequuntur, satis superque ostendant, prophetæ consilium id haudquaquam heic esse, ut impie facta horrendaque scelera, quibus iram divinam vindicesque poenas promeruerant populares, illis immitti animo exprobret; sed totum in eo versari, ut ex ipsa calamitatum atrocitate & magnitudine lugendi occasionem capiat, tandemque levamentum doloris fibimet ipse civibusque allaturus, fauciis omnium animis lætam tecte subjiciat spem, iratum Jehovah, si lacrimis madentes precibusque invigi-

v. 14. Prophetæ tui falsa tibi vaticinati sunt & futilia,  
M 2 Non

---

lantes ad Numen illius supplices tendant manus (cfr. hujus Cap. verff. 18, 19), exorrectam fore retractum virgam, & quos olim amaverat, illis iterum bene facturum; vero limillimum videtur, *הפייר* heic esse *amicamente admonere, tenius cohortari* וְalloqui, aut non multum a sequente נִזְמָן differre.

מֵה אֲרֹמָה לְךָ כַּה אֲשֶׁר לְךָ i. e. *quid tibi assimilabo?* *quid tibi conferam?* ad magnitudinem calamitatis exaggerandam dicta sunt, & cum iis quae præcedunt & sequuntur hoc modo coherere videntur: "quibus verbis, quo tibi solatii aliquid afferam, te alloquar, filia Hierosolyma? Nam quis mortalium tot tantaque passus est mala, ut tecum conferriri poscit? Cujus exemplum, quod tui simile est, e veteri memoria repetam, quo te quodammodo consoler? Num mare vastum tuorum infortuniorum barathro profundius est? Quis te, miserrima, sanare valebit?" Remedium ad dolorem mitigandum haud raro, qui adversa consolantur fortuna, ex eo petere solent, quod alios homines eadem fatorum iniquitate oppressos videant. Sed ne ex hoc quidem fonte solatium sibi reportare potuit filia Iuda; nam longe ante alios erat miserrima & sui in calamitatibus similem unquam nec ipsa viderat, nec ab aliis audierat. Pro *מֵה אֲשֶׁר לְךָ* LXX legiſe videntur וְיִשְׂעֵנָךְ; habent enim τις σώτες, scil. σέ, quæ vocula expressa est in Msc. *Alexandrino* & in *Arab.* versione. At Masorethica lectio *sana* est, illamque alii servarunt veteres Interpretes.

כִּי גָּדְלָ בַּם שְׁבַרְקָ aptum pulchrumque continent hæc verba sensum, nec in illis quicquam mutandum est, quam-

— Non retexerunt culpæ tuæ velamen, quo capti-  
vitatem tuam averterent,

Sed

quam LXX, vertentes ὅτι ἐμεγαλύνθη ποτίσιον συντείθης  
ες, secumque ARABEM trahentes, legerunt סְכָן, pocu-  
lum, loco τε Σεκάν, quod SYR. CHALD. & VULG. expre-  
serunt. Neque illi MICHAËLIS audiendus est, qui (in Bibl.  
Orient. T. XIX: p. 134) ex uno Codice Kennicott. scri-  
bere proposuit סְכָן i. e. nunc; qua mutatione nihil frigi-  
dius est, utpote illa, imagine ademta, omnem poetica  
tollit elegantiam. Verboſitate in hoc verſiculo vertendo  
ſemet ipſe quidem vincit CHALDEUS; at memoratu tamen  
dignus est, quia poetica quædam pulchritudo verborum  
ſubeft pompa, & haud ſcio, an ipius explicationis veri-  
tas. Cum enim hoc modo παραφέαζε; "quia magna eft  
contritio tua ſicut multitudine confractioſis fluctuum magni  
maris in tempore tempeſtatis ſua", imaginem, qua ad  
magnitudinem calamitatis declarandam utitur Vates, haud  
quaquam ab immenso magni maris ſpatio, ſed a ſpuman-  
tium fluctuum littori vel ſcopulis alliforum æſtu & fra-  
gore petit; quæ explicatio, licet uſu vocis יְבַשׁ biblico  
non conſirmetur, attamen a primigenia ejus vi aliena  
non eft & ſignificatione nominis יְבַשׁ valde adjuvatur,  
quod proprie de fluctibus ad littora & in vadis æſtuan-  
tibus dicitur, v. c. Pf. XLII: 8, LXXXVIII: 8, XCIII:  
4, Jon. II: 4. Neque SYR. quamquam verba noſtra  
reddit, amplissima eft velut mare labes tua, longius ab  
eadem ratione diſcedere videtur; nam vocabula ſequentia  
נִזְבֵּחַ וְיַרְפֵּא לְ quis ſanabit te? explicat, נִזְבֵּחַ וְיַרְפֵּא  
i. e. quis obſtruat? ut eft in Bibl. Polygll. Londinenſi,  
aut quis claudat? forſitan fluctus maris æſtuantis; quod  
niſi ſuppleatur, quomodo intelligenda fit SYRI verſio,  
non video.

Sed falsa protulerunt oracula & errores. 5)

v. 15.

5) חָווּ h. l. ut saepius, non solum *visa videre*, verum etiam quæ vidimus proferre & enarrare significat. Cfr. *Job. XXX: 10. Ezech. XXI: 34.*

חַפֵּל reddiderunt LXX ἀφεσύνη, Arab. حَفَلْ ignoran-  
tiam & SYR. حَوْلَةً errorem, deceptionem. Sed  
h. l. cum חָווּ conjunctum, rectius explicandum est futi-  
le, immo falsum. לְסֵן enim, si in origine ab Arab.  
حَفَلْ spuit, salivavit, ut حَفَلْ, sit sputum (quod  
vehementer urget ALB. SCHULTENSIUS in *Comment. ad Job. I: 22, VI: 6, XXIV: 12*), aut quod magis arridet,  
si a حَفَلْ minime fragrante ore fuit, scil. propter de-  
fectum aromatum, unde حَفَلْ fragrantiae expers, id  
quod non conditum est, aut insipidum notet, (ut Chald.  
חַפֵּל i. e. non salitum, insulsum, contrarium حَلْلِي حَلْلِي sali-  
tum, quare *Job. VI: 6* חַפֵּל מִבְּלִי מִלְּלָה est insipidum quid,  
sale non conditum), quin tamen ei inepti, vani ḥāfṣi  
significatio inhæreat, vix negari potest. Cfr. *Jerem. XXIII: 13.*

נָלַג cum חָווּ constructum ita h. l. intelligendum est, ut  
aut *velaminis amovendi* notio ipsi verbo subjaceat, quod  
ex Arab. حَلْلَو sublato velo conspexit ejusque derivato,  
وَمَسْجَلَو remoto velo nitens, ut sponsa, quodammodo  
confirmatur, aut ellipsis חָווּ אֲחַת עִינֵיךְ I. supple-  
atur, quæ nomina saepius cum נָלַג conjuncta leguntur,  
v. c. *Num. XXII: 31, I. Sam. IX: 15, Ruth. IV: 4, Ps.*  
*CXIX: 18.* Hinc igitur, si וְלֹא גָּלוּ עַל עִינֶךָ ad verbum

transtuleris, *¶ non removerunt velamen, quod erat super iniuitatibus tuis*, aut, *¶ non aperuerunt oires i. oculos tuos ad pravitatem tuam*, idem existit sensus, prophetas videlicet refractarii populi non relexisse peccata. Post ערך addit præter textum SYR. ~~מִזְרָחָךְ~~ i.e. ut te poenitere, interpolatum esse SYRUM e versione Vulgata, quæ verba יְמִינְךָ reddit, ut te ad poenitentiam provocarent, putat J. F. SCHLEUSNERUS l. c. & vix ullo alio errore hoc additamentum irrepare potuit.

מִשְׁבֵּת, vel ut Kri legere jubet שְׁבוֹת (nam sæpe hæc alternant hujus vocis sc̄riptiones), quamquam sexcenties *captivos restituere* i.e. reducere significat, ægre tamen hujus versiculi contextus eandem hujus dictionis vim admittere videtur. Quod si enim *vertas: prophetæ tui vaticinati sunt tibi falsa, nec peccata tua tibi ingenuæ retinxerunt, quo captivos tuos restituerent:* hæc dicta non nisi de prophetis post captivitatem vaticinantibus intelligi possunt, quod tamen orationis filio, de vatibus ante excidium regni vana halucinantibus nos cogitare jubenti, manifeste repugnat. שְׁבִית igitur est hoc loco *captivitas*, & שְׁבִית impedire, avertere, ut Job. IX: 12, XI: 10, Jes. XLIII: 13, Jerom. II: 24; aut quoniam Hebrei, ut notissimum est, inter maxima mala captivitatem numerarent, φρέσις πλούτος quamunque calamitatem averteruncare haud incommode significare potest. Cfr. Ps. XIV: 7, LIII: 7, CXLI: 8, Job. XLII: 10. VULG. autem & CHALD. qui ad poenitentiam convertendi vim his vocabulis adjecerunt, loco עַד־עֲתָךְ i.e. שְׁבִית forsitan legiscevidentur, quos tamen imitari nolim; quemadmodum etiam Versio Latina interpretationis SYRI in Bibl. Polygl. Londoniensis corrigenda est, reddens עַד־עֲתָךְ, quo vocabulo Hebr. שְׁבִית explicat, *¶ averterem*, cum tamen illud

verbum haudquaquam sit 1:a perf. fut. Peal, sed 5:tia  
præt. τ& Aphel.

מִזְחָזֶק λεγ. a verbo נַדְחֵה derivandum, cuius prima trudendi, pellendi vis, quæ etiam in cognatis radicibus רֹוחָה & רֹחֶה regnat, illiciendi aut seducendi significationi ortum dedit (cfr. Deut. XIII: 6, 11, 14, Prov. VII: 21), unde, collato Arab. حَلْبَنْ, in Via dispersæ & longius a cauis suis digressæ sunt oves, ad erroris I. falsiloquii notionem in מִזְחָזֶק facilis est digressus. De cetero confirmatur hæc explicatio tum ex eo, quod τῷ οὐών subiunctum sit hoc vocabulum, & τῷ ἀλητῷ in primo hujus versiculi membro respondeat, tum etiam SYR.

ARAB. & CHALD. auctoritate, quorum iste **phantasmata**,  
fallaces, scil. prophetias, ille **verba erroris**, redit. Nam aliter illos legisse, ut credam, mihi quidem,  
quamquam J. G. BOERMELIO l. c. ita visum fuit, vix  
persuadere possum; quemadmodum etiam contra Hebr.  
lingue usum a laudato Viro approbatam doctissimi J. D.  
MICHAËLIS (in *Obss. citt. & Suppl.*) vix admittere pos-  
sumus conjecturam, qua a radice Arab. **laus** laudavit,  
unde **laus** laus, encomium, vocabulo nostro adscri-  
benda esset *blanditiarum* notio. Cum enim radicem  
plane ignoret dialectus Hæbreæ & **מדוחים**, ut jamjam  
diximus, ad **רוח**, aut si cui placeat ad **רוּחַ**, perbene re-  
ferri possit, nulla mihi faltem est ad Arabismum confa-  
giendi lubido, quo ex illius late vagantibus verborum  
significationibus Hebraicum explicem vocabulum, cuius  
genuinam vim ex ipsius Hebraismi penetralibus eruere  
licet. At si sua difficultate laboret **רוח** **רוּחַ** interpretatio,  
facilius certe non erit **רוּחַ** LXX **έγκωματα**, qua voce  
Hebraicum explicarunt, recte intelligere. Ab **רוּחַ** de-

dictum vix quidem aliud, quam *expulsionem* significare potest, quare etiam VULG. habet *ejectionem*. In re incerta conjicerem, utrumque Interpretem פָּרָד ante oculos habuisse, at primigeniae hujus radicis significationi tenacius tantummodo inhæsisse, unde etiam EL. KJERSEEN (in *Dissert. in Thren. Jerem. Upf. MDCCCI.*) בְּאַוְרָת מִדּוֹתָה putat esse prophetias propulsionum, h. e. falsa vaticinia, quæ tandem in causa fuerunt, quod in exsilio propulsus esset populus Iudaicus; quam explicationem jamjam præmisit magnus LUTHERUS, vertens: *sie predigten dich zum Lande hinaus.* Ad Alexandrinum explicandum hæc forsitan sufficerent, nisi ARABIS أَرْبَابٌ novam crearet difficultatem. Quod si enim verum est, ARABEM haud ex Hebraico-exemplari, sed e schedis τῶν ὁ transtulisse, unde ille dictum vocabulum acceperit, in obscuro latet. Confert quidem J. F. SCHLEUSNERUS l. c. ἔξωσμα cum ἔξωσει, machina theatrale, quæ cylindris subjectis admota ὅ hinc illinc conversa spectatoribus, quid in scena pararetur, ostendebat, ἐπικύλημα l. ἐπικύληθρον, cum rotis promoveretur, appellata (cfr. POLLUX IV: 139); qua ex comparatione, quamquam id non explanat Vir laudatus, nec ἐπικύλημα mentionem facit, τῶν ἔξωσμάτι ista accedere posit significatio, ut rerum sit fictarum in ludis spectaculum, unde forsitan notionem phantasmatis ARABS derivare potuerit. Sed cum hæc comparatio satis preclaro instituta sit, nec ulla exempla, quantum quidem nos scimus, communionem hujus significationis has inter voces intercedere probantia afferri possint, ac denique, cum omnia, licet de suo aliquid τῶν ἔξωσμάτι tribueret ἡ ἔξωσει, tamen nimis longe, quo ad significationem ab ARABE explicatam perveniamus, petita sint, Schleusnerianam rationem relinquere, & quam persecutus est viam ARABS, in occulto nobis latere ingenue fateri cogimur.